

dam pecuniae quantitatem sub certis conditionibus Misnensi ecclesiae legasset, canonici Misnenses cum dicta pecunia in villa Gezzen^{a)} sita ultra Albeam, tria talenta et septem solidos ad anniversarium dictae coniugis nostrae et ad solempnitatem sancti Francisci in Misnensi ecclesia annis singulis peragenda comparaverunt, prout in conditione praemissa fuerat expressum. Deinde antedicti canonici duo talenta et VII solidos, viginti duos modios avenae, duos modios siliginis, pro servitio vero septem scoccos ovorum et quadraginta duos pullos ibidem cum propria pecunia suae ecclesiae Misnensi acquisiverunt, petentes a nobis cum instantia diligenti, ut saepedictae ecclesiae suae Misnensi cum utilitatibus et pertinentiis suis dare vellemus praemissorum bonorum proprietatem, commodum et profectum. Verum cum dicta bona Henricus de Batensdorph iure feudali, et Gertrudis uxor sua iure, quod lipghedinghe vulgariter nuncupatur, a nobis communiter possiderent, nos eorum piis precibus inclinati et eorum bona intentione considerata, recepta eorundem et a liberis et heredibus suis libera resignatione, bona et possessiones saepedictas, habentes undecim mansos et duos hortos, solventes annis singulis in festo Walpurgis tertium dimidium talentum et duos solidos, in festo beati Michaelis tria talenta et duos solidos, viginti duos modios avenae et duos modios siliginis, pro servitio vero in pascha septem scoccos ovorum, in festo Michaelis XXI pullum, et in festo nativitatis domini XXI pullum, cum pratis, pascuis, virgis, virgultis, areis, aquis, aquarum decursibus, viis et inviis, molis et molendinis, iudiciis acquisitis et acquirendis, et cum omnibus attinentiis et utilitatibus, quae nunc insunt vel in futurum inesse poterunt, vel quocunque modo dici vel nominari poterunt, antedictae Misnensi ecclesiae pro remedio animarum, nostrae scilicet et saepedictae coniugis nostrae, de consensu dilectissimorum filiorum nostrorum Alberti Thuringorum lantgravii et Theoderici marchionis de Landesbere, in proprium damus perpetuo, quiete et libere possidendas, nihil iuris nobis et liberis nostris in posterum reservantes. Sint etiam bona et possessiones saepedictae liberae ab omni servitio personali et reali, angariis, perangariis, servitutibus, exactionibus et petitionibus; nullus in eis aliquod dominium habeat vel auctoritatem aliquam exerceat, nisi soli canonici Misnenses, vel eorum nuntii vel nuntius ad hoc specialiter deputatus. Et ut haec nostra donatio firma et inconvulsa permaneat, sigilli nostri munimine et sigillis filiorum nostrorum antepositorum praesentem paginam fecimus roborari. Actum et datum Misnae domini M^o. CC^o. LXX^o. II.^{b)} Non. Januarii, praesentibus testibus infra scriptis Friderico gardiano et Henrico de Rothowe minoribus fratribus in Misne, magistro Gebehardo prothonotario nostro et praeposito in Hayn, Henrico de Treuere et Nicolao scriptoribus nostris, domino Johanne burchravio de Witin, Alberto de Burne dapifero nostro, Henrico de Gnannenstein camerario nostro, Henrico de Waldowe, Henrico de Siden, Henrico de Vesta et aliis quam pluribus clericis et laicis fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen. An rothen und gelben seidenen Fäden hängen die drei wohl-erhaltenen Reitersiegel des Markgr. Heinrich und seiner Söhne Albrecht und Dietrich.

Schöttgen u. Kreysig diplom. Nachl. XI. S. 127—30.

a) Jessen, Par. Gröbern. b) Die in älteren Abschriften und Abdrücken angegebene Zahl II. ist zwar, da die Urkunde an dieser Stelle schadhafte geworden, nicht mehr sichtbar, die gewöhnliche Annahme aber, dass die Urkunde am 4. Jan. 1270 ausgestellt worden, irrig. Die Zahl bezieht sich nicht auf den Tag, sondern das Jahr der Ausstellung, diese selbst setzt aber die Aussöhnung zwischen Heinrich und seinem Sohne Albrecht voraus, die erst am 30. Apr. 1270 zu Stande kam.